Die digitale Landesbibliothek Oberösterreich

oö landes bibliothek

Terms and Conditions

The Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Library.

Each copy of any part of this document must contain there Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept there Terms and Conditions.

Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Library

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

Imprint:
Director: Mag. Renate Plöchl
Deputy director: Mag. Julian Sagmeister
Owner of medium: Oberösterreichische Landesbibliothek
Publisher: Oberösterreichische Landesbibliothek, 4021 Linz, Schillerplatz 2

Contact:
Email: landesbibliothek(at)ooe.gv.at
Telephone: +43(732) 7720-53100

non ne sedens prius cogitat si possit cum decem milibus occurrere ei qui cum xx milibus venit ad se? Aliquin adhuc illo longe agente legationem mittens rogat ea que pacis sunt. Sic ergo omnis ex vobis qui non renuntiat omnibus que possidet non potest meus esse discipulus.

incipiant illudere ei dicentes: Quia hic homo cepit edificare et non potuit consummare. Theophil. Non enim debemus ponere fundamentum tantum, id est sequi Christum, et finem non imponere, sicut illi de quibus Iohannes dicit, quia multi ex discipulis eius abierunt retrorsum. Vel fundamentum intellige doctrinalem sermonem, puta de abstinentia. Opus autem quasi post fundamentum operandum edificium, ut perficiatur nobis turris fortitudinis a facie inimici. Aliquin deridetur homo a videntibus, tam hominibus quam demonibus. Greg. In bonis enim operibus intenti vigilant maligni spiritus, sollicite vigilantes ipsos irrisores patimur quos ad malum persuasores habemus. Sed ex minori ad maius consilium [illegible], ut ex rebus minimis maiora pensentur. Nam sequitur: Aut quis rex iturus committere bellum adversus alium regem non sedens prius cogitat si possit cum x milibus occurrere ei qui de xx milibus venit ad se. Eusebius. Insilit enim nobis plus quam spiritualia nequitie in celestibus.

Urget autem nos et aliorum hostium multitudo carnale flagitium. Lex seviens in membris nostris et varie passiones. Hec est dura hostium multitudo. Aug. Vel x milia comparantur cum rege qui habet xx milia, sicut simplicitas christiani hominis dimicaturi cum duplicitate diaboli. Theophil. Est autem rex peccatum regnans in nostro mortali corpore. Sed et noster intellectus creatus est rex. Ergo si repugnare velit peccato, caute animo cogitet secum. Nam demones ipsi peccati satellites qui videntur xx milium numero precellere x milia nostra, quia ille incorporei sunt, nos autem corporei, unde maiorem fortitudinem habere censentur. Aug. Sicut autem de turri non perficienda exprobrant qui dicunt: Quia hic homo cepit edificare et non potuit consummare, sic in rege cum quo dimicandum est ipsam pacem accusant cum illudunt. Aliquin adhuc illo longe agente legationem mittens rogat ea que pacis sunt. Significat et minas imminentium temptationum a diabolo non sufferre eos qui renuntiant omnibus que possident, et pacem cum eo facere consentiendo illi ad committenda peccata. Greg. Vel aliter. In illo tremendo examine cum rege nostro ex equo ad iudicium non venimus; x milia duce ad xx milia simplum ad duplum sunt. Cum duplo ergo exercitu quasi simplum venit, quia nos vix in solo opere preparatos simul de opere et cogitatione discutit. Dum ergo adhuc longe est, quia adhuc presens per iudicium non videtur, mittamus ad eum legationem lacrimas nostras, mittamus opera, hostias placationis. Hec est nostra legatio que regem venientem placat. Aug. Quo autem pertineant iste similitudines, ipsa conclusio satis aperit dicens: Sic ergo omnis ex vobis qui non renuntiat omnibus que possidet non potest meus esse discipulus. Itaque sumptus ad turrim edificandam et valentia x milium adversus regem qui xx milia habet, nichil est aliud quam ut renuntiet unusquisque omnibus que sua sunt. Prelocutio autem superiorum cum suprema extrema locutione concordat. In eo enim quod quis renuntiat omnibus que sua sunt, et illud continetur ut oderit patrem suum, matrem et uxorem et filios et fratres et sorores, adhuc et animam suam. Omnia hec enim propria alicuius sunt, que plerumque implicant et impediunt ad obtinenda non ista propria temporalia transitura, sed in eternum mansura communia. Basil. Est autem intentio domini per exempla predicta non utique prebere potestatem esse discipulum sibi vel non sibi, sicut licet vel non inchoare fundamentum

in omel. — i omel. — de quibus enim — i omel. — de quibus enim — i omel. — ad litteram